

*De Gymnasio Neapolitano cum orbe  
nato.*

A  $\omega$   $\Omega$ .

AD ORATIONEM

SCHAEFERIANO NOMINI AC MEMORIAE SACRAM,

*item*

Declamationes eucharisticas

de beneficiis in scholam SORANAM vndiquaque collatis,

*nec non*

conciones

Juuenis Generosissimi

CHRISTIANI RVDOLPHI

A GERSDORFF, Eq. Sil.

atque adolescentum humanisimorum

JO. GEORGII WEIGEL, SOR.

GEORG. FRIDERICI PIR-

SCHER, Sommerfeld. Luf.

DANIELIS PITTII,

Furstenberg. Megalopolit.

ultima vice scholam hanc consalutatorum

& in academiam Lipsiensem discessurorum,

d. v. April. cio 1700 xxiii.

*audiendas,*

Omnes, qui studiorum aut scholæ causâ volunt,

qua par est, veneratione ac studio

*deuocat*

JO. GOTTFR. ZEISKE.



SORAVIÆ,

Imprimebat Jo. Gottlieb Rothius, Typogr. Aul. Promnit,







\* \* \* \* \*

**L**N scholis cum vbique regnare debeat candor, veritas & modestia, quibus sane virtutibus innutrienda sunt a primis ætatis temporibus optima ingenia; & nunc tamen deprehendi & olim deprehensa fuisse in gente vmbatica *λαρισια* & *θωπέυα*, plus quam vellemus, animaduertimus. Non longe abiero, inscriptio eo pertinet, quam scholæ neapolitanæ frons præfert, quamque prærex regni istius excellentissimus Petrus de Castro, Comes de Lemos insculpi hunc in modum iussit: GYMNASIVM CVM VRBE NATVM, VLYSSE AVDITORE INCLYTVM, A TITO VESP. RESTITVTVM, A FRIDERICO II. LEGIBVS MVNITVM ET HONORARIIS AVCTVM, A CAROLO II. ANDEGAV. INTRA MOENIA POSITVM, FERDINANDVS CATHOLICVS TVMVLTIPTIBVS PENE OBRVTVM EX HVMLI ANGVSTOQVE LOCO IN AMPLISSIMVM AVGVSTISSIMVMQVE IVXTA VRBEM VETERI SAPIENTVM INSTITVTORE REGIO SVMPITV TRANSTVLIT. Non sane in dubium hic vocamus Neapoleos antiquitatem & eruditionis famam, cum res ipsa tot tam manifestis argumentis liqueat, eademque firmissimis & constantissimis viorum doctissimorum testimoniis corroborata sit. Vbi tamen aliis diuidendum relinquimus, num ad Aborigines & Opicos, quod non obscure tuetur Jo. Jovian, Pontanus in commentariis de Ferdinando I. Alphonsi z. l. vi, an ad Sirenas, an ad Cumæos denique, Chalcidenses & Pherecydem nescio quem origo huius vrbis sit referenda. A Sirenium vnus nomine eiusque sepulcro in colle quodam istius regionis, Parthenopen dictam esse Plinius historiæ nat. conditor refert & totidem verbis Martianus Capella repetit de nuptiis philologie l. 6. vt Strabonem atque alios taceam. Huc pertinet illud Sillii Italici:

*Sirenium dedit vna suum & memorabile nomen  
Parthenope muris Acheloias, equore cuius  
Regnauere diu cantus.*

& Sannazarii:

*Tum canit antiquas sedes, opulentaque regna  
Auricomæ Sirenis & altum in monte sepulcrum,  
Sacraque Chalcidiosque deos, magnisque per æquor  
Auspiciis vctas hæc ipsa ad littora puppes.*

Velleius historiæ romanæ auctor politissimus a parte ciuium Cumanorum nimirum post Cumas exstructas Neapolin conditam esse memorat. cum quo consentit Marcianus Heracleora & Strabo, nisi quod hic addit, Chalcidenses postea, item Pithecusanos & Athenienses quosdam eo migrasse. eadem fere refert Liuius, vnde etiam discimus, Palæpolin dictam fuisse priorem urbem, vti aliteram illam Neapolin. Enimuero illud portenti prope simile est, ac nullis vnquam tabulis aut testibus firmari potest. GYMNASIVM CVM VRBE NATVM esse, nisi dicat prærex cum Pontano, Euandrum cum matre sua Caramenta (nâri hi litteras in Italiam attulisse creduntur auctore Liuii Dionysio Halic. Tacito, aliis) aut horum discipulos in illis Græciæ magnæ partibus iam tum scholas instituisse. Neque tamen quicquam præter opinionem suam, affert



affert Pontanus: nec vero, non eodem, inquit, mihi tempore ( loquitur de anti-  
 quisimis sæculis ) visa sunt litterarum studia, qualia tunc esse poterant, illie  
 & exstitisse & cœpisse, quæ postmodum tanta creuerint frequentia, vt quod de  
 vocis suauitate & cantu attributum est Sirenibus, id fabulæ locum dederit ex elo-  
 quentia ac litterarum studiis disciplinarumque cognitione & cultu. Sirenas  
 quamuis describant prisca ἰδυίαιαι πάλαιον, ὄσα γέννηται ἐπὶ γῆδοι, & dulcedine can-  
 tus ac vocis admirabiles, quæ demulceant aduenas, non tamen conueniunt  
 cum studiis litterarum, quæ de putrefactis Sirenium auscultatoribus & plena  
 osibus insula narrantur. Vt tamen Iouianus suam de Sirenibus fabulam ali-  
 quo modo pingat, Zenonis & Parmenidis exemplum in auxilium vocat, satis  
 propinquis e locis oriundorum, quos ante & alios quoque fuisse veri sit simile:  
 quando hi duo essent & ipsi sæculis nostris fortasse incogniti, nisi eorum Aristo-  
 teles in rebus physicis & post eum scriptores alii meminissent. Inuidiam scilicet  
 rei in temporum iniuriam confert, qua factum sit, vt Neapolitanorum nullo  
 ad posteros peruenerit notitia: quanquam non solus Aristoteles, ac ne pri-  
 mus quidem, Parmenidis & Zenonis mentionem iniecerit, sed Platonis Dia-  
 logus, quem Parmenidem inscripsit, vtrumque iam laudauerit. Ceterum sane  
 mirum est in tanto Pythagoræorum numero, in tanta disciplinæ eleaticæ  
 celebritate nullum nominari Neapolitanum, aut in historia philosophica me-  
 moriæ aliquid prodi, vnde scholæ Neapoli florentis detur indicium. Ne ta-  
 men nihil dixisse videatur, confidentius iam contendit, & ante Pythagoram  
 & Metapontinas illas scholas fuisse Sirenium in regionibus bonarum artium stu-  
 diosos permultos: quod Numæ regis romani disciplina institutionesque delectant.  
 Pythagoræ vt pote Samo aduenientis auctoritatem eleuare & antiquitatem par-  
 uis pendere videtur, oblitus, Zenonem etiam & Parmenidem, quos ante in  
 laudem gentis suæ adduxerat, ipsos quoque aliunde, nempe a Xenophane  
 Colophonio aut Pythagoræis etiam philosophiam accepisse, ac proinde Py-  
 thagora aliquanto posteriores fuisse. Numæ autem institutiones parum iu-  
 uant Pontanum, si Liuii sententiam audimus, vt audienda, nisi me fallit ani-  
 mus, merito est, qui suoapte ingenio temperatum animum virtutibus fuisse ar-  
 bitratur, instructumque Numam non tam peregrinis artibus quam disciplina te-  
 trica ac tristi veterum Sabinorum. Nec est, quod quis libros citet in agro L.  
 Petilii inuentos, septem litteris latinis de iure pontificio, totidem græcis de di-  
 sciplina sapientiæ scriptos & iussu senatus crematos. Ipse enim Liuius, si con-  
 stare sibi velit, genuinos eos habere, etiam ob negatum linguæ commercium  
 non potest, & rem suspectam facit altera arca, in qua sepulchrum Numam esse  
 inscriptio præ se ferebat. Ea, quæ de oraculis & de factis ad Auernum sacris  
 tradantur, fieri absque litterarum cognitione ac profesu minime potuisse, Pon-  
 tano nondum damus; & rerum cognitiones per ea tempora penes sacerdotes fuisse  
 quamuis largiremur, nihil tamen efficeret, quod Parthenopeo aliquo gym-  
 nasio cum vrbe nato dignum foret. Fidem potius habemus Petro Lasene,  
 vel vt ipse scripsit, Laseina Neapolitano, cuius etiam Cleombrotus & Nepenthes  
 in orbe litterario celebrantur, qui singulari de veteri gymnasio neapolitano ope-  
 re ingenue fatetur, veteres vel oppidi vel collis incolas rudes artis legendi &  
 scribendi fuisse videri. At si vel maxime daremus, quod salua historia dari  
 non potest, ac ne ab villo quidem vnquam poëta, Statio, Pontano aut Syn-  
 cero, quibus maior & fingendi & Neapolin celebrandi licentia erat, dictum  
 est.

X 2



est, cum vrbe natum esse gymnasium; illud tamen VLYSSE AVDITORE INCLYTVM, quam vanum, quam ab omni verifimilitudinis specie alienum! Temporum rationes Vlyseæ peregrinationis cum rebus Neapoleos, certe Palapoleos iam constitutis, ante omnia exacte conuenire debent, ne ad nudos colles & inculum solum Parthenopes delatum esse, atque ibi nescio quas oscinum voces potius, quam doctorum hominum acroases percepisse Vlysem dicere cogamur. Difficillimum autem & inexplicabilibus impeditum, controuersis est hic ad calculos doctorum virorum de isto argumento sententias reuocare. Eusebius ipsam Cymen (seu Cumas) arbitratur conditam, centum & viginti annis post Troiæ euerfionem: quod si verum est, fieri non potuit, vt Neapolin Vlyses videret, quam Cumani deduxere coloniam. E- quidem Strabo Troicis rebus antiquiores facit Cumas, & si Jos. Scaligerum, ad Eusebium sequimur, etiam Velleius, qui non multo post Chalcida & Ere- triam colonis occupatam, a Chalcidensibus Cumas dicit esse conditas: vnde & hanc sententiam amplexus est magnus Salmasius, Boæclerus tamen de Pa- terculo secus existimat, quippe qui non ante Troica, sed post ea tempora Cu- marum ponat initium, quod contextus historiae facile euincat: nam sane nitidissimus scriptor in opere *de rebus Græcorum a Troiana expeditione reuer- forum fata describere instituit. Verum esto, concedatur, ante Ilium cap- tum Cumarum excitata esse mœnia; recordandum tamen erat, magno post intervallo, vt Velleius dicit, Neapolin conditam esse, sine dubio succrescen- te iuuentute & velut vere sacro alio amandata, vnde iterum ad pertinem- Neapoleos videndæ spem miser Vlyses deuoluitur. Neque tanti nobis est Ouidii auctoritas, apud quem in metamorphoseon libris Aeneas, cum promissum sibi Latium peteret, Pithecusis præteritis parthenopœia dextra mœnia deseruit. vbi si mollissime cum Nasone agendum, dicemus, eodem modo Parthenopen memorare, quo ab Homero Corinthum nominari censet Pa- terculus. Scilicet audierant Campani Cicerone iudice superbi, Telegonium Vlysis ex Circe filium, de quo Cinathon Lacedæmonius Telegoniam scri- psit, Tusculum condidisse: audierant, Bajas a Baio quodam Vlysis socio istis locis sepulto traxisse nomen: procliue igitur fuit Vlysem ipsum aduenam, Neapoli in exedra aut hemicyclo sesium recipere. Et quid Lusitano (Ca- strensis enim familia, vnde Petrus noster oriundus, vt opinor, inter Portu- galliæ ornamenta est) vendibilis ac plausibilis, quam ei vrbi, cui pro rege tum præerat, Vlysem sui facta præsentia conciliasse splendorem, Vlysem, inquam, a quo patriæ suæ caput Vlyssipponem ortum habere putauit. Sed nos vt ne historicis quidem aut geographis Straboni, Melæ, Solino credimus, Vlysem in Oceano illo magno nauigasse, non magis, quam Asciburgi in ripa Rheni memorante Tacito creatorem esse; ita nec fidem nobis aliquis vel Lycophron vel Tryphiodorus, vel quiuus alius poëta fecerit, Vlysem ad Sirenis vrbem, si qua tum fuit, accessisse. Nam Homerus quidem, e cuius fontibus poëta, qui subsecuti sunt, hausisse merito ducuntur, de Vlysis ad Parthenopes mœnia aditu reticet: sed illud potius enarrat, prudentissimum heroem Circes monitu Sirenas summo studio vitasse, ceræque spissamento aures sociorum obstruxisse & ad malum se alligandum curasse. Nisi forte, dicant, Parthenopen benigniori quam sorores ingenio, aut ad insulam Sire- num, non item ad continentem Sirenis imperio obnoxiam accedentes sum-*



mo vitæ discrimine allifos, aut denique aliam naturam viuis ac canentibus, aliam vita defunctis & sepultis Sirenibus fuisse. Decepit auctorem inscriptionis vel nationis vitium, vel nimia antiquitatis admiratio, vel populo neapolitano placendi studium, vt non tantum in prisca illa & pingui temporum, inscitia gymnasium subito nobis exstrueret, sed etiam Vlysem (mirum quod non & Diomedem & Aeneam, quin ex Jo. Viterbienfis commento Noachum) veluti πρόσωπον τηλωνές huc arcesferet. Quantum ad restitutam a Tito scholam, suspicor etiam hic certis monumentis præconem illustrem destitit & fortasse scenam e Suetonio instructam esse, qui refert, Titum post conflagrationem Vesuei montis curatores restituendæ Campaniæ e consularium numero forte duxisse. Verum hoc si sufficeret, eodem iure Titi patrem gymnasii fauctorem adduceret, quem idem Tranquillus laudat ingenia & artes maxime fouisse, primum e fisco latinis græcisque rhetoribus annua centena constituisse, quin instrumentum imperii confecisse, quo continerentur SCra & plebscita, etiam de priuilegiis cuiusque concessis. Quibus, porro legibus munium sit gymnasium a Friderico II, dispiciat, cui licet & vacat consulere constitutiones Friderici Neapolitanis & Siculis datus, quas latine Lindenbrogius alique ediderunt, sed ex codice regio 1222. titulos græcarum adhuc ineditarum Montisfalconis palæographia græca. Nec de Carolo II. Andegauensi, tumultibus neapolitanis & Ferdinandi catholici meritis in ludum neapolitanum nunc multum solliciti sumus: plura, vt de Collenutio, Guicciardino, Cominæo, Facio, aliis taceam, Vbertus Folieta in laudibus vrbis Neapolis, Franc. de Magistris de statu rerum memorabilium ac adificiorum ciuitatis Neapolitanæ, & inprimis Lafena, quem supra diximus, forte si quis desiderauerit, dabunt. Nos vti gloriationem de nimia vetustate & quæsitæ ex fabulis fama ingenio iberico familiarem agnoscimus, ita cognatum illi, sed alio genere vitium *Γνωσέλας* hic elucere alii iudicabunt. At si schola nostra beneficia amplificatorum suorum, vt decet, in mentem sibi reuocat & meritis extollit laudibus, facile se & gloriationis & adulationis non conuicio tantum, sed suspicione etiam exsoluet, ipsius veritatis & pietatis patrocinii defensa. Inprimis hic commemorare debemus VIRVM NOBILISS. ATQ. AMPLISSIM. DOM. CHRISTIANVM SCHAEFERVM, Prætorem, dum viueret, reip. Soranæ grauisimum, qui egregio & liberalissimo beneficio in singulos annos percipiendo scholæ huius magistros ornatos voluit: quin, & eodem modo de venerandis verbi diuini præconibus & amplissimis patribus conscriptis bene mereri post obitum studuit. *Quo loco piaculum fuerit* (liceat enim celeberrimi senis JONAE GELENII, quem honoris causa nomino, præceptoris mei venerandi, vti verbis in simili argumento prolatis & ad rem nostram deflexis) *si indictus hic nobis abiret* Nobilissimus ac Consulissimus Dominus GEORG. SIGISMVNDVS HAHN, J. V. L. & Consul ciuitatis Sor. longe dignissimus, BEATI SCHAEFERI hæres. *Non ille tergiversari, non moras necesse, non videre torum* (addo etiam; non callidum, versutumque ius opponere, sed Plinii exemplo defuncti voluntatem omni iure scripto potiore habere, pleno folle destinatam ab AVVNCVLO pecuniam numerare &) *summa cum facilitate atque humanitate largiri omnia.* Ne itaque apud ingratos deposuisse beneficium videatur vir beatissimus, cuius voluntas tulit, vt in scholæ vmbra & a collegio scholastico quotannis memoria tanti





tanti beneficii publice sermone patrio excitaretur. nunc quidem DEO iuuantē, crafina luce ego de Euergetæ noſtri munificentia verba facere breuiter, & pro ingenii modulo tenuiter inſtituam. Cui quidem conatui ne concio & arbitri deſint, non modo eos, quorum intereſt, viros ſpectatiſſimos & præſtantiſſimos, ſed omnes quoque, quibus humanitate nihil eſt antiquius, ea qua decet obſeruantia rogo, vt poſt ſacra matutina huic acroaſi aures patientes præbeant. Ceterum pace virorum doctiſſimorum, ea occasione captata, ſchola noſtra gratam in reliquos etiam Mæcenates ſuos & fautores mentem præſtabit, & quid cuiuſ vel ordini, vel ſtatori litterariæ rei ſigillatim debeat, exponet: quo ſine prologi loco *Jo. Gunther*, *Zimpel*, *Gaſſ*, *Luf*. orat. lat. & præſentibus & aliis conſpectioris dignitatis patronis pro beneuolentia in nos eximia gratiasaget. Et quia ingens quoque beneficium GENEROSSI. DOM. BALTHASAR AB HEINZENAV, dynaſta Petersdorffii in ſchola hanc noſtram contulit, quod iterum atque iterum grati animi memoria repetimus & celebramus, alumnus viſcerationis Heinzenauienſis *Balth. Abraham Petri*, Sor. orat. germ. prædicabit, quibus beneficii viuiculis piæ memoriæ Euergetæ obſtriſti ſimus. Tum maxime reuerendo preſbyterio *Henr. Otto Korn*, Eulo. Luf. orat. lat. & *Georg. Caſp. Püſch*, Herrnſt. Sil. ſermone ebraico; ampliſſimo vrbis ſenatu germanic. ſerm. *Chriſtoph Sigum*, *Lange*, *Sag*, Sil. & latino *Jo. Dav. Großmann*, Sor; ciuibus Sorauienſibus in vniuerſum, germ. *Martin*, *Gottlob Kizing*, *Logau*. Croſn; ſumme reuerendo ephoro *Erdm. Frid. Finger*, Sor. latine, & *Gottlob Samuel Runze*, *Landsberg*. Neo-March. ebraice debita ſoluere conabuntur. Quantis gratiæ pignoribus IL-LVSTRIS, COMES, Dominus noſter clementiſſimus velut auctoratam ſibi ſchola habeat, dicent orat. germ. *Wolf Henr. a Rothkirch*, Eq. Sil. & elegia germ. *Georg. Sigum. a Briefen*, Eq. Luf. cui pictas in inclytiſſimam AVLAM & CONSISTORIVM, quod Soræ eſt, accedet interprete Generoſiſſimo *Chriſtian. Rudolph. a Gersdorff*, Eq. Sil. qui vna eademq; opera ſcholæ, induſtrium ac modeſtiſſimum alumnum & genti ſuæ illuſtri ornameto, ſi perrexit futurum e ſinu in academiã dimittenti, lat. orat. valedicet. Denique Sereniſſimo Principi Saxoni Martiſburgico *Jo. Georg. Weigel*, Sor. orat. græca; Potentiſſimo Regi Polon. & Eleſt. Sax. *Georg. Frid. Pirſcher*, ſerm. græco; Inuiſtiſſimo Romanorum Imperatori orat. lat. *Dan. Pittius*, *Furſtenberg-Megalopolit.* ſubmiſſiſſimam pietatem teſtabuntur, ac ſimul apobaterios ſermones eosque germanicos habebunt adoleſcentes frugi & bonæ ſpei, poſt paulo academiã petaturi. Propempticon præcipue Gersdorffio accinet verſ. germ. *Chriſtoph. Sigum. a Rottenburg*, Eq. Sil. & candidatiſ vniuerſis *Frid. Joſephi*, Coſenblar. Luf. elegia lat. ſcholam DEO O. M. omnia in acceptis reſerre merito teſtaturus; at muſicos numeros *Jo. Sam. Braun*, *Neofad*, Sil. quibus carmen germ. aptauit, moderabitur, panegyri Colophonem impoſiturus. Hoc nexu velut per æs & libram ſe ſchola obligat, immo dudum ſe obligatam agnoſcit, ſperatque nemini bono pium iſtud ſtudium ſenio ac diuidiæ futurum. Adoleſcentes autem a nobis abituros piis precibus DEO rerum arbitro commendamus, vt eius nutu ac beneficio in ſtadio, quod ingrediantur, feliciter decurrant, & ſuo tempore ad extremam lineam perueniant.

Dabam Soræ in Luſatis infernatiſ prid. non. april.

CID 10CC XXIII.

MO



De Gymnasio Neapolitano cum vrbē  
nato.

A XXI Ω.

AD ORATIONEM

SCHAEFERIANO NOMINI AC MEMORIAE SACRAM,  
*item*

Declamationes eucharisticas

de beneficiis in scholam SORANAM vndiquaque collatis,

*nec non*

conciones

Juuenis Generosissimi

CHRISTIANI RVDOLPHI

A GERSDORFF, Eq. Sil.

atque adolescentum humanisimorum

JO. GEORGII WEIGEL, SOR.

GEORG. FRIDERICI PIR-

SCHER, Sommerfeld. Luf.

DANIELIS PITTII,

Furstenberg. Megalopolit.

ultima vice scholam hanc consalutatorum

& in academiam Lipsiensem discesurorum,

d. v. April. CIO MCCC XXIII.

*audiendas,*

Omnes, qui studiorum aut scholæ causâ volunt,

qua par est, veneratione ac studio

*deuocat*

JO. GOTTFR. ZEISKE.



SORAVIÆ,

Imprimebat Jo. Gottlieb Rothius, Typogr. Aul. Promnit.

